

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Prelacio k cum uariis

Sicut leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate quia ruina que de alto fit grauiori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus preclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto pre ceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligenciam delabatur ruina grauior est. Non enim est tanti gaudii excelsa tenere, quanti meroris est de excelsis corruere, nec constat tantam gloriam sequi post uictoriam, quantam ignominiam post ruinam.

Ambrosius ibidem.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

grauiori] graui B; sustineat] honor *add.* C; dolor magnus] magnus dolor C; quanto] quantum B C; delabatur] dilabatur P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; est *add.* (*del. intra*) M; meroris] memoris P V<sup>1</sup>; post *om.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; Ambrosius *om.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>